



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Scholis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

ram Notario, & testibus, id testatum faciant. Quod si ipsi alios offenderint, mittant ad veniam petendam, & satisfaciant offenso ut oportet, ac pax, si res id ferat, dum ægrotus uiuit, conficiatur. Secreta autem si quæ fuerint, in huiusmodi secretè transigantur.

5. Solliciti sint, ut declarent deposita, si quæ acceperint, similiter & debita atque iniuste acquisita, si quæ habent, eaque primò persolui curent, omniaque bona & scripta sua, in eum modum tempestiuè disponant, ut ne quid per eorum negligentiam alijs perire possit, nec lites aut forenses strepitus exoriri.

6. Cum hæredibus Christum cohæredem scribant, & in extremo saltem exitu largiter & salubriter sui memores sint.

D. August. in psalm. 48 & in tractatu, De decem chordis. cap. 12. Chrysostom. in serm. De gratijs reddendis D. Cyprian. tractat. De opere & Eleemosynis cap. 5.

7. Loco bonorum quæ iniuste acquisuerunt, aut possident, quorum tamen ignorantiam habent, matricem & parochialem suam Ecclesiam, maiorum consuetudine, & pietate, pro ratione magnitudinis substantiæ suæ, legato honorent. Cum enim non temerè à B. Hieronymo scriptum sit; verissimam esse vulgarem sententiam: *Dives, aut iniquus, aut iniqui hæres*, facile à diuitibus aliena possidentur.

8. In hisce obeundis, solliciti semper sint viri Ecclesiastici, ut ne quæ sua sunt quærant, & compèdia alijs debita, vel parata, auertant: sed ab omni suspitione sordide auaritiæ, adeoque ab omni malo, omnique specie mali sese religiosè semper contineant.

DE SCHOLIS.

1. **Q**UONIAM verissimam esse censemus illam Concilij prouincialis sub Hermanno quinto habiti

Eccc 2 bit

biti sententiam: Iuuentutis institutionem rem essetanti momenti, vt ab ea totius propemodum Reipublicæ Christianæ, tum salus, tum perniciēs dependeat; maximam Scholarum iudicauimus habendam esse rationem, & diligentissimè, summaque cura prouidendum, vt quæ de his, in prouincialibus Concilijs constituta & decreta sunt, in vsum ducantur, & ab omnibus recipiantur. Quare ad rectam Scholarum institutionem certamque ac perpetuam earum reformationem, hæc sancimus & præscribimus obseruanda.

2. Scholastici, vel alij quibus Scholis Collegiatarum Ecclesiarum de Ludimagistris prouidendi potestas competit, nec non ædiles, aut Ecclesiarum prouisores, & si qui sint alij, quibus eadem autoritas, in prouidendis parochialium Ecclesiarum Scholis data est; neminem posthac ad Ludimagistri officium admittant, quin ea præditus fuerit eruditione, prudentia, pietate, morum castitate, & pulchritudine, in primis autem illa fidei Catholicæ integritate, & sinceritate, vt iuuentutem, quæ ei instituenda committetur, primum quidem in Orthodoxa fide, & Catholici Catechismi instructionibus, in pietate ac morum innocentia, rectaque cum in templis ac locis sacris, tum domi ac in plateis conuersandi ratione, ac deindè in litteris maximo cum fructu atque profectu erudire, & instituere possit, ac diligentissimè velit: nec vllus in his vel alijs quibuscunque Scholis, ad Ludimagistri, hypodidascali, vel coadiutoris officium, de cætero recipiatur, vel receptus in eo toleretur, nisi satisfecerit decreto, quod de emittenda fidei professione condidimus.

*Vide supra
iii. De fidei
professione
pag. 4.*

3. Cum Scholæ Collegiatarum & Parochialium Ecclesiarum, indies magis magisque pereant; cum ob magistrorum quorundam, qui illas regunt, incitiam ac vilitatem; tum ob priuatarum Scholarum, & clanculariorum magistrorum, quorum numerus pro cuiusque
volun-

voluntate quotidie magis crescit, multitudinem; indeque tandem sit futurum, ut diuinum officium sine cantu celebrandum sit, quod is à puerorum choro in parochialibus præsertim Ecclesijs, magna ex parte depèdeat: ut hisce damnis ac scandalis ponamus obstaculum, & Cathedralium ac parochialium Ecclesiarum scholæ, magistros semper idoneos habere queant, quod plerisque locis, eo quod tenuiter admodum eis esset prospectum, difficulter fieri potuit: volumus ut primo quoque tempore, huiusmodi Scholis non præficiantur nisi Sacerdotes vel in sacris Ordinibus constituti, seu ad eosdem aspirantes. Ac in Collegiatis quidem Ecclesijs, vna ex Vicarijs; in parochialibus autem officium aliquod, quod cum Ludimagistri officio cõpatibile esse possit, & cui Vicarij atq; officio, Ludimagistri, sine aliqua notabili Scholæ iactura queant satisfacere, Scholæ perpetuò vniatur. Si autem hoc fieri minimè poterit, portio aliqua singulis, aut plerisque Ecclesiæ Beneficijs detrahatur, quæ in stipendium Ludimagistrorum deputeretur: aut collecta & contributio populi fiat, vel alio modo de honesta & sufficienti sustentatione, harum Scholarum magistris provideatur.

*Conc. provin.
sub Hierm. 5.
par. 12. cap.
3. & 4.*

4. Ut nimia tollatur Scholarum priuatarum frequentia, quæ pro cuiusque voluntate, non autem ex publica authoritate aperiuntur; ac Collegiatis & Parochialibus Ecclesijs integer puerorum sit numerus, qui chorum facere possint, & diuinum officium ac laudem Dei ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, magna cum populi ædificatione decantare: veramus rudimenta linguæ Latinæ alibi tradi, quàm in præscriptis Scholis & Gymnasijs, alijsque Scholis, publica vtriusque magistratus authoritate institutis: exceptis dumtaxat his, in quibus adolescentes, qui publica Gymnasia frequentant, lectionum suarum repetitiones habent, & in his, quæ in publicis Gymnasijs audiuerunt, vel audituri sunt, exercentur, &

Ibidem ca. 1.

Conc. prou.
sub Adolp. 3.
Medio 1. cap.
Percepim⁹
pa. 427. Syn.
Dioec. An.
1550. feria 3
post S. Mart.
hab. pa. 464.
d. Et in his
que de Scho-
lis inquiren-
da sunt. §. 8.
9. 10. & cat.
pa. 489.

diriguntur, arctiori que disciplina continentur. Quam exceptionem ad nobiles aliosque prædiuites extendimus, qui inter priuatos parietes filijs suis didascalum alunt, si modo didascalum illi fidei professionem fecerint, & à methodo ac ratione tradendæ disciplinæ, quæ in publicis Scholis obseruatur, non discordent. Ad hæc nulli peregrinas linguas doceant; nulli artem scribendi aut numerandi tradant, nisi in his quæ profitentur, & alijs, quæ ex præscripto Concilij Prouincialis sub Adolpho tertio habiti, ab huiusmodi professoribus inquirenda sunt, examinati fuerint, & inuenti idonei, atque post fidei professionem admissi, qui eadem profiteantur. Si qui contra facere præsumperint, reijciantur, & multa puniantur, quæ in solatium cedat eorum qui publicis Scholis præsunt.

Ib. pa. 531. a. b.

5. Pertinebit examen hoc præcipuè quidem ad Ordinarium, verum cum ille infinitis propemodum curis & sollicitudinibus distrahatur; pro maiori circumspectione & cautela, ex decreto prouincialis Concilij sub Adolpho tertio habiti, hanc examinationis curam, & admitteendi vel reijcendi auctoritatem; in ciuitaribus, Prælatibus & Rectoribus Ecclesiæ, vbi Schola est, ruri autem Pastoribus & Decanis Ruralibus iniungimus, in quorum districtu, examinandi, profiteri aut ludum aperire cupiunt. Præcipimus autem Magistratibus, alijsque qui se interponere possent; ne examen huiusmodi quouis modo impediunt; alioquin censura Ecclesiastica, & alijs oportunis remedijs, ex eiusdem Concilij sententia coercendis.

6. Vt hæc in consuetudinem duci possint, & sine conuenientia, ac dissimulatione in actum perducatur: omnibus parochialium Ecclesiarum Pastoribus iniungimus, vt quotannis bis, instante nimirum tempore Synodi Diocesanæ, omnium clanculariorum magistellorum, & priuatarum scholarum Parochiæ suæ indicem faciant, tam illa-

illarum in quibus ars scribendi, numerandi, vel peregrinæ linguæ docentur; quàm in quibus linguæ Latinæ fundamenta ponuntur: simulq; annotent, cuiusnam fidei & religionis Clancularij illi Ludimagistri sint, & quid doceant; ac indicem hunc vel ipsi ad Synodum Dioecesanam perferant, vel per Decanos suos perferri curent.

7. In omnibus scholis eadem sit pueros instituendî ratio, ijdemq; prælegantur vbiq; auctores: præcipuè verò vna ab omnib. tradatur Grāmatica & Syntaxis. Cum enim frequenter per migrationem contingit, vt pueri præceptores mutare cogantur, & consequenter alia quã cœperant Grāmatices atq; syntaxeos ediscere præcepta; fit vt frequenti mutatione, ac magna confusione, nihil retineant, grauiissima studiorum suorum, & temporis ad capefcendas artes maximè idonei iactura.

8. Ratio institutionis huius sit, quam tradit Simon Verrepæus, in libris scholasticarum institutionum, Antuerpiæ, per Ioannem Bellerum editis, aut quam Patres societatis Iesu sequuntur, quibus, quod hæc prima & potissima eorum sit professio, plurimum in hac re credendum est.

9. Ante omnia Christianam iuuentutem optimè institui volumus, in Orthodoxa fide, & fundamentis Christianæ religionis quæ paruus Catechismus Petri Canisij, ad puerorum captum breuissimè complectitur; ac doceri singulos modum orandi, benedicendi mensam; sacerdoti diuinam rem facienti, inseruiendi; peccata sua confitendi, & eos, qui ad annos discretionis peruenerunt, deuotè communicandi. Vtq; à teneris omnes discant, immaculatam semper habere conscientiam, & regnum Dei quærere; singulis minimum mensibus, ad sacram Confessionem ducantur, ac diebus Dominicis & festis vnà cum Præceptore suo, ad Concionem & solemnē seu conuentualē Missā, atq; vespertinas preces, quæ

Concil. Lateran. sub Iulio 2. Leon. 10. c. 7. sess. 9.

Ado. 3. De h. que in scholis tradenda sūt pa. 491. d.

quæ in Parochialibus Ecclesijs fiunt, compareant, loco à Pastoribus singulis Parochiæ suæ Ludimagistris designando, quod etiã ab his qui publica Gymnasia frequentant, religiosè obseruari volumus.

Conc. Lateran. sub Iulio 2.º et Leon. 10. cap. 7. sess. 9.

10. Dominicis & festis diebus exponantur Euangelia & Epistolæ Dominicarum & festorum incidentium, atque sanctorum vitæ, Grammaticè tantum, hymni quoque & profæ temporis seruientes.

11. In Scholis Collegiatarum & Parochialium Ecclesiarum, quotidie vna hora doceatur cantus Gregorianus: & quidquid à pueris in templo cantandum erit, hoc priuatim, crebro exercitio ita didicerint, vt non solum sine errore, sed magna cum audientium omnium ædificatione, canere publicè possint.

12. Cum Collegiatarum, ac Parochialium Ecclesiarum pueri, prodituri sunt ad diuinum officium, vel in publicam supplicationem, aut ad deducendum funus, moneantur à præceptoribus suis grauiter omnes; vt veste lineachorali induti compareant. Inualescēte enim nunc heresi, laudabilis ista consuetudo, ita abit in detuetudinē, vt erubescere videantur pueri, ac puerorum parentes, hac pia, & veteri consuetudine fidē suam profiteri. Quod si ab omnibus obtineri non poterit, saltem pro maiori decore, iste inter illos seruetur ordo, vt qui lineis vestiti non sunt, non misceantur alijs, qui linea veste sunt induti: sed certo ordine, aut primi, aut vltimi procedant; aut parui quidem primo, & maiores vltimo, medio ordine incedentibus, qui lineis vestiuntur.

13. Singuli scientiarum, Philosophiæ, ac humaniorum artium professores, alijque Ludimagistri, in Scholis quique suis, & quodocunque dabitur oportunitas, diligenter discipulos suos admoneant, ac quantum in se est curent, vt nullos habeant libros obscenos, aut qui veræ religioni, pietati, Christianisue moribus officere aliqua ratione possint.

14. Tol-

14. Tollant quoq; & impediant, auctoritate qua præditi sunt, & quibus possunt modis, alias omnes impietatis, prodigalitatæ, luxus, ebrietatis, turbulentarum concertationum, aliorumque peccatorum, petulantiarum, impudentiæ, nimixque licentiæ incentiua & quaslibet occasiones inueteratasque consuetudines. Morem etiam illū nouitios studiosos deponendi, vt loquuntur, cū in eo nunquam non, aut creberrimè plerosque huiusmodi aliosque multos excessus locum habere intellexerimus, si non penitus apud omnes interciderit, in desuetudinem ac obliuionem ducendum decernimus.

15. Vt hæc decreta nostra explicatius singulis Præceptoribus innotescant, & ad puerorum etiam perueniant notitiam, vtq; ea quæ in prouincialibus Concilijs, de cauenda suspectorum librorū prælectione, præcepta sunt, nullius violentur inscitia; in virtute S. obedientiæ præcipimus artium studij genaralis Ciuitatis Colonienfis Decano, vt adiunctis sibi primis Parochialium Ecclesiarum Ciuitatis Colonienfis Pastoribus, intra trium mensium spatium, à publicatione horum decretorum, tam in vsum Gymnasiorum, quàm scholarum Collegiatarum & Parochialium Ecclesiarum, aliarumque priuatarum scholarum, pro cuiusque scholæ ratione, certas condant leges, quibus decretorum horum sententia, ad captum puerorum latissimè explicetur, eisq; cū in templis tum domi ac in plateis certa conuersandi præscribatur ratio: & Præceptoribus (professores & scholas excipimus Societatis Iesu) exercendæ disciplinæ scholasticæ modus, & tradendæ constituatur methodus. Ad hæc quotannis ad festum S. Remigij Catalogum edat librorum, qui in Gymnasijs alijsq; scholis doceri poterunt. Ac leges quidem prædictæ lingua vernacula ac latina typis edantur ea forma vt cum studiosorum libris compingi possint, forma quoque patentè, vt spectabili & conuenienti loco, in scholis affigatur ac singulis septimanis ab vno puerorū,

*Concil. prouinc. sub Her
5. parte 12. ca.
8.*

Ffff

latinis

Latinis Latinè, rudioribus autem Germanicè publicè prælegantur. Catalogus verò librorum prælegendorum à singulis Pastoribus, singulis cuiusq; Parochiæ Præceptoribus tradatur.

16. Hæc omnia scholasticis, alijsq; quibus scholarum prouisio, inspectio, vel visitatio, ex officio vel speciali mandato iniuncta est, ita curæ sint; vt pro horum debita executione & obseruatione, nihil ab ipsis sollicitudinis, & diligentia desiderari possit.

DE LIBERTATE ET IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

1. Quoniam Iudices quidam Laici in graue animarum suarum detrimentum, & immunitatis Ecclesiasticæ præiudicium Ecclesiasticam libertatem multis modis restringunt; immunitatem in seruitutem redigunt & summa cum indignitate, in sacrosanctam eius inuolant iurisdictionem: supplicandum esse duximus Cæsareæ Majestati, vt vniciq; quod suum est tribuens, Ecclesiasticam libertatem, immunitatē, ac iurisdictionem, Imperatoria sua auctoritate defendat: & hæc præcipue quæ sequuntur in Ciuitate & Diocesi Colonienfi præstare dignetur.

De his Bulla cæne Domini. Stat. Engelb. ca 17. 18. 19 & seq. pa 25. Stat. Sifr. c. 12. pa. 46 Stat. Henr. an. 1306. edit. ca. 5 & 6. pa. 61. Stat. Henr. an. 1307. edit. c. 15. pa. 72 d. Stat. Sifr. c. 33. pag. 206. 207. Mandatum Caroli 5. pro confirmatione & execut. Conc. prou. sub Adolp. 3. habit. pag. 420. etc. in Statut. prouinc. Colonien. Concil. prouinc. sub Adolp. 3. habit. in censu. & de cretis cap. Accipimus Magistratus. & sequer. pag. 452. Synod. Diocesa. an. 1549. 2. Offo. habit. pag. 458. c. & Synod. Diocesa. anno 1550. feria 5. post Remigij habit. in mandato cuius initium est. Quamquam diuinis legibus. pag. 509. Item Synod. anno 1551. habit. pag. 530.

2. Vt ne iudices Laici in personas Ecclesiasticas aliquid iuris, vel de eorum excessibus cognitionis aut vsurpent, aut prætendant; nec eosdem coram se, pro actionibus personalibus, etiam ciuilibus pertrahant; siue sint seculares Clerici, siue Capitula, aut Monasteria dictis iudicibus subiecta.

3. Vt